

eum in pugna multis vulneribus pene confectum ceperant, numis traditis dimissus, secundo Padi flumine ad urbem venit: quem quidem Patres omni studio curari mandaverunt, nequedum enim vulnera coaluerant. hujus de prælio sermo apud Lauredanum habitus, cum sermone Galli congruebat: Gallos pugnæ initio fugæ se se dare decrevisse: idque futurum sine dubio fuisse, non modo si Veneti equites, uti debuerant, depugnavissent; sed omnino etiam, si se loco non movissent: eorum temere fuga cœpta fieri, hostes retentos se confirmavisse, atque ita non tam ulla sua virtute, quam ingenti equitatus Veneti formidine atque perfidia viciisse. At Senatus ea, quam supra commemoravimus, de captivis accepta conditione, quos habebat ex Gallis, regi restituit: atque ille, quos pollicitus fuerat, ex Venetis missos fecit: in quibus Naldius, Braccius, Vitellius fuerant.

Patres interea cum statuissent reipublicæ exercitum esse omni cura atque impensa retinendum, & quod ejus missis ad Taurisanos & Belunienses præsidiis decreverat, esse reponendum, centurionibus non paucis, qui post prælium e Gallia, quique post restituta Julio oppida e Flaminia redierant, uti novos milites conscriberent, mandaverunt. Verum enimvero, propterea quod magna civium parte in tributa non conferente pecunia eos deficiebat, decemvirum decreto decem cives lecti sunt, qui exigendæ pecuniæ omni cum potestate atque imperio præfessent: eosque qui majori eorum parti solvendo esse latis suffragiis censerentur, modis omnibus cogerent ad stipem conferendam: in reliquos mitius quidem agerent, aliquid omnino tamen etiam ab iis consequerentur. atque ii peracto magistratu, qui quidem esset annuus, quo tempore senatorialm dignitatem exercere eis liceret, annum alterum in Senatu essent. eaque re pecuniæ postea exigendæ ratio Patribus aliquanto facilior atque explicatior fuit. Rogaverant illis diebus demississime Antonii Grimanii exulis liberi Bernardum Bembum patrem meum, Marinum Justinianum, Aloisium Gradonicum triumviros ex advocatis

H. Bembi.

V 3

reipu-

*Antonius  
Grimanus  
ab exilio re-  
vocatur.*